Quaestio theologica de Sacramentis in genere.

QVÆSTIO THEOLOGICA

De Sacramentis in Genere,

Ex Lib. 4. M. Sentent.

A

M. PAVLO HERCIO Curzelouień.
S. T. Sententiario & Professore, Decano Opatouień.
Custode Sancti Floriani,

In Alma Academia Cracouień.
Pro more à S. Facultate Theologica præscripto, in Concursu ad disputandum

PROPOSITA.

Anno Domini 1648. Mense Febr. Die. 11. Hora. 16.

Lectorio DD. Theologorum.

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Francisci Cæsarij, S.R.M.Typ.

Teſſeram Duces ſub ſe militantibus dant, vt amici faciliùs inuicem ſe noſcentes exhortentur, & ſi cum hoſtibus commiſceantur, eò faciliùs diſcerni ac ſeparari poſſint. Quod ſi fortè commilitonum ſeparatio fiat, nemo te, quarum, noſtrarum an aduerſarij partium ſis nouerit, niſi myſticis ſignis familiaritatem præteferas, niſi ſignatum ſit ſuper te lumen vultus Domini; niſi characterem in te agnoſcat Angelus, quonam modo pro te pugnabit, aut ab inimicis te vindicabit? Quomodo, inquam, dices Dei ſum, ſigna non oſtendens? an ignoras quemadmodum ſignatas domos in Ægypto exterminator præterijt, in non ſignatis verò primogenita peremit? Theſaurus non obſignatus, furibus facilè patebit. *D. Baſil. in exhort. ad Bapt. quæ eſt hom. 13. ad populum.*

QVÆSTIO.

VTrum Sacramenta nouæ Legis ſeptenario numero cõprehenſa, & à Chriſto Domino immediatè inſtituta, licèt non omnia characterem imprimant, omnia tamen ex opere operato, & phyſicè gratiam quam ſignificant tanquam cauſæ inſtrumentales conferant nec ne?

CONCLVSIO I.

Septem ſunt nouæ Legis Sacramenta.

COROLLARIA.

I. *Contra diuerſos defectus & peccata, remedia diuerſa inſtitui oportuit.*

II. *Gratia gratum faciens eſt quidem vna prout eſt in eſſentia animæ, ſecundùm quod tamen fluit ad potentias perficiendas, & diuerſos earum defectus tollendos, multiplicatur.*

III. *Sacramenta inſtituta ſunt in remedium non ſolùm contra*

 defectus

defectus contingentes ex positione contrarij, sed etiam ex subtractione necessarij.

IV. Quamuis vna sit Diuina Virtus, & vna Christi Passio, operantur tamen in nobis per diuersa Sacramenta, tanquam per diuersa instrumenta.

V. In veteri lege dum erat figurarum tempus, non oportebat esse determinata signa ad determinatos effectus gratiæ, vt modò sunt.

VI. Aqua benedicta est sacramentale, non verò Sacramentum, nec ordinatur directè ad præstandum remedium, sed ad remouendum id quod effectum Sacramenti impedire possit.

VII. Falsa est sententia Lutheri & Caluini, qui pauciora quàm septem Sacramenta ponunt, vt & illorum qui plura.

CONCLVSIO II.

Sacramenta nouæ Legis ab ipso Christo Domino immediatè instituta sunt.

COROLLARIA.

I. Non spectat ad hominem iudicio suo assumere res, quibus sanctificetur; sed hoc determinatum esse debet ex Diuina institutione.

II. Quamuis ad Apostolos & eorum Successores pertineat regimen

gimen

gimen Ecclesiæ constitutæ per Fidem & Fidei Sacramenta, non tamen pertinet Sacramentorum institutio.

III. *Ea quæ in Sacramentis aguntur instituta per homines, non sunt de necessitate Sacramentorum.*

IV. *Quod rei sensibilis significatio sit certa, & ad vnum significandum determinetur, hoc habet ex Diuina institutione.*

V. *Sacramenta legis veteris significabant tantùm ea, quæ in Christo gesta sunt, & etiam nouæ Legis Sacramenta.*

VI. *Serpens æneus in veteri lege non adhibebatur ad percipiendum effectum sanctificationis, sed solùm exterioris curationis.*

VII. *Dum Sacramentum in genere in Sacramentum legis veteris & nouæ diuiditur, non diuiditur vt genus in species, sed vt Analogum in suas partes.*

CONCLVSIO III.

Non omnia sed solùm tria Sacramenta characterem imprimunt, & hæc sunt Baptismus, Confirmatio, & Ordo.

COROLLARIA.

I. *Character est quædam spiritualis potentia, non quidem procedens ex principijs essentiæ, sed ab extrinseco adueniens.*

II. *Quamuis gratia perfectior sit quàm Character, ex eo*

tamen non sequitur, quòd character in anima sit delebiliter, sicut est gratia.

III. *Per tria tantùm Sacramenta ordinatur homo ad Diuinum cultum directè, per modum agentis vel recipientis.*

IV. *Gratia datur ad benè operandum, sed character ad simpliciter operandum vel recipiendum.*

V. *Sacramenta in quibus imprimitur character non debent iterari.*

VI. *Character principaliter est in intellectu, secundariò verò & consequenter in voluntate.*

VII. *Quomodocunq; anima per proprias operationes varietur, nunquam tamen amittit characterem.*

CONCLVSIO IV.

Sacramenta nouæ Legis non solùm sanctitatem significant, sed etiam causant.

COROLLARIA.

I. *Sensibilia prout sunt signa rerum spiritualium, ad cultum Dei pertinere possunt.*

II. *Verbum iuxta doctrinam D. Augustini operatur in Sacramentis non quia dicitur, id est, non secundùm exteriorem vocis sonum, sed quia creditur, id est, secundùm sensum verborum qui fide tenetur.*

III. *Quamdiu per speculum & in ænigmate cognoscimus,*

oportet

oportet nos per aliquà sensibilia signa in spiritualia deuenire.

IV. *Deus quasdam res alijs ad significationes Sacramentales præelegit, non quòd ad illas effectus eius contrahatur, sed vt sit conuenientior significatio.*

V. *Nihil prohibet causam sui effectus signum appellari.*

VI. *Dum dicitur; Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, visibile ad sensibile in communi extenditur.*

VII. *Quæ sunt notiora simpliciter non quoad nos, non possunt propriè signa dici, sed solùm transumptiuè.*

CONCLVSIO V.

Sacramenta ex opere operato & physicè, non solùm moraliter ad gratiam producendam concurrunt.

COROLLARIA.

I. *Quod aliquis per Sacramentum non recipiat sanctitatem, non prouenit ex defectu Sacramenti, sed ex defectu in recipiente.*

II. *Effectus Sacramenti non obtinetur Oratione Ecclesiæ vel Ministri, sed merito Passionis Christi, cuius Virtus in Sacramento operatur.*

III. *Sacramentalis gratia addit aliquid super gratiam communiter*

muniter dictam, & super gratiam donorum & virtutum.

IV. *Sacramenta legis Naturæ non habebant efficaciam ex opere operato, sed solùm ex fide.*

V. *Potest corpus moueri à spirituali potentia, ad aliquem spiritualem effectum inducendum.*

VI. *Instrumentum quatenus instrumentum per aliquid sibi proprium ad effectum principalis agentis operatur.*

VII. *Potest aliquid aliud à Deo in quantum virtute Diuina agit causare gratiam.*

CONCLVSIO VI.

Solus DEVS est causa principalis iustificationis.

COROLLARIA.

I. *Passio Christi est causa iustificationis nostræ & meritoriè & effectiuè, non quidem per modum principalis agentis, siue per authoritatem, sed per modum instrumenti, in quantum humanitas Diuinitatis est instrumentum.*

II. *Viri iusti Oratio potest operari aliquid, impetrando quippiam annexum effectui Sacramenti, licet non ipsum effectum Sacramenti.*

III. *Nulla creatura potest aliquid operari immediatè in anima.*

IV. *Homo*

IV. Homo in Sacramentis non quærit salutem quasi ab eis, sed per illa à Deo.

V. Non potuit à Christo communicari ministris potestas authoritatis, quàm ipse habuit in Sacramentis; potuit tamen potestas excellentiæ.

VI. Sacramentorum virtus ab eo tantùm est qui illa instituit.

VII. Agentis principalis virtus habet esse permanens & completum in natura.

CONCLVSIO VII.

Sacramenta non principaliter, sed instrumentaliter concurrunt ad gratiam producendam.

COROLLARIA.

I. Gratia non est in Sacramento sicut in subiecto, sed sicut in causa instrumentali dispositiua.

II. Sacramentorum virtus reducitur ad hoc genus in quo est virtus completa agentis principalis.

III. Instrumentalis virtus habet esse transiens ex vno in aliud, & incompletum.

IV. Mali in dispensatione Sacramentorum exhibentes se ministros, peccant quidem, attamen validè conferunt.

V. *Christus secundum quod homo est causa meritoria iustificationis nostræ.*

VI. *In Sacramento est gratia vt in vase, prout vas dicitur instrumentum alicuius operis faciendi.*

VII. *Materiale elementum exercendo actionem naturalem secundum quam est signum effectus interioris, ad interiorem effectum instrumentaliter pertingere potest.*



Sub felicibus auſpicijs

Perilluſtr: Adm: Reuereń: & Magnifici Domini

IACOBI VITELLII

S. Th. D. & Profeſſoris,

Eccleſiæ Cathedralis Cracouienſis

CANONICI,

Almæ Academiæ Cracouienſis

RECTORIS

VIGILANTISSIMI.